



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 15. Pighii liber de Hierarchia Ecclesiastica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI.  
A.C. 1543 consilium fecutus plura elucubravit opera contra Lutherum, Melanctonem, Bucerum & Calvinum. Posthæc eundem Adrianus VI. Papa, quem nondum Cardinalibus adscriptum in Hispaniam comitabatur, quamprimum adeptus est Pontificatum, Romam accersivit, seu potius secum abduxit, eumque publicis summæ benevolentiae signis decoravit: Papa autem fatis functo Albertus adhucdum Romæ persistens, Clementis VII. favores sibi conciliabat, ab eoque ad varia negotia adhibebatur, illiusque solertia crebro Paulus III. Clementis Successor usus est, a quo etiam Pighius Ultrajecti Præpositus ad sanctum Joannem Baptistam renuntiatus est, ibidemque anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo tertio die vigesima quarta Decembris extremum diem clausit.

## §. XV.

*Pighii liber de Hierarchia Ecclesiastica.*

**I**nter quam plurima Pighii opera ceteris merito palmam præripit tractatus in sex libros divisus, cui titulus: *Assertio Hierarchiæ Ecclesiasticæ*. Hoc opus Paulo III. Pontifici nuncupavit, & Sedis Apostolicæ jura immoto studio vindic-

dicavit, atque inter alia in libro quarto, <sup>Sæcul. XVI</sup>  
in quo de juribus Papæ differit, eidem A.C. 1543.  
auctoritatem atque jurisdictionem in un-  
iversaliam Ecclesiam attribuit, cunctis-  
que, quæ objici possent, respondet ar-  
gumentis, atque exemplis, quæ non-  
nulli allegare solent, ut summos Ponti-  
fices quandoque in errores prolapsos  
criminari valeant. Præterea in libro  
quinto de Pontificis potestate in bona  
temporalia agit, & confutat Marcilli Pa-  
tavini librum, ubi non modo Ecclesiasti-  
cis jurisdictionem profanam competere  
asserit, sed etiam haud dubitanter pro-  
pugnat, quod Cæsares Regesque a Papa  
non modo in rebus sacris, sed etiam pro-  
fanis dependeant, atque ab eodem suam  
auctoritatem derivent, nec non illa ab  
eo privari valeant. In postremo deni-  
que libro Conciliorum auctoritatem  
multum deprimit, contenditque, quod  
illis non alia, quam sententias ferendi,  
easque exequendi facultas competat,  
Pontifici autem relictum sit, auctorida-  
te suprema atque infallibili rem decide-  
re. His quoque subjungit, quod Con-  
cilia generalia, quæ a Constantino fuis-  
se inventa autumat, olim fuerint salu-  
taria, nunc vero Ecclesiæ perniciofa sint,  
in cujus rei argumentum producit duo  
illa Concilia, Constantiense & Basileen-  
se, quæ tamen apud Gallos plurimum

**Sæcul. XVI.** auctoritatis obtinent, ipse vero eorum  
**A.C. 1543** Decreta de auctoritate Concilii genera-  
 lis rejicit, hacque in re Gersonis senten-  
 tiam confutat, docetque, quod nec Ec-  
 clesia universalis, nec Concilium aliquod  
 ullam in Pontificem habeat potestatem,  
 imo nequidem jurisdictionem in priva-  
 tos sibi vindicare valeat: hac vero, etsi  
 Ecclesia gauderet, Concilia tamen ge-  
 neralia careant. Præterea sequentes  
 hasce propositiones tradit, quarum pri-  
 ma est hæc: Concilia universalis tam  
 in sua convocatione, quam in decisio-  
 nibus a Papa penitus dependent. II.  
 Omnes causæ Ecclesiasticæ, quæ sunt  
 majoris momenti, sacræ Sedi reservan-  
 tur. III. Concilia totam suam aucto-  
 ritatem, omnemque vim ab eadem Se-  
 de Apostolica obtinent. Insuper etiam  
 contra Cajetanum propugnat, quod  
 Papa ob nullam causam exauctorari  
 valeat, etsi correctionis impatiens fo-  
 ret, vel universæ Ecclesiæ offensionem  
 præberet. Denique tantopere rem ex-  
 aggerat, ut etiam contendere audeat,  
 quod Papa nunquam in hæresin prola-  
 bi, nec ullus casus excogitari possit,  
 in quo absque Pontificis consensu Sy-  
 nodus convocari valeat.